

3157

LITURGICI.

3158

DCCCCXVII.

957 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 265. 4. eleganter scriptus, literis initiorum et marginibus pluribus jucundissimo florum insectorumque ornatu variis, Pieturis praeterea XII. grandibus sacris artificis penicilli magnificus varia Pietatis Exercitia completitur in usum quondam *Ferdinandi I. Rom. Regis*, quem imperiali habitu de genibus precantem exhibet Icon praevia, addito supra conopeum: *Ferdi. Dei. Gra. Rom. Rex. Etc.* et Scutis *Burgundicis* fenestrae adfixis. Infunt vero: *Missa de B. V. M. IV. Evangelistarum totidem Evangelia, Horae de Cruce, de S. Spiritu, et de Deipara, Psalmi Poenitentiales cum Litanis OO. SS. Vigiliae Mortuorum, Precesque ad diversos Coelites. A morte Parentis Κεραμλιον istud Filio cessit; legitur enim in ora supera praedictae Iconis: 15. M. 65. Dominus: Prouidebit: Maximilianus. et fol. 1. praevio: Donatus est liber iste Maximiliano II. Ele-go Imperatorj: 17. Aprillis. A. D. 65. Utrumque αὐτογεγραφως. Ejus Insignia vel Patris potius ac phrygia Thecae adpieta sunt.*

DCCCCXVIII.

777 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 29. 8. elegantissime exaratus titulisque miniatis insignis ita in Fronte artificiose depicta inscribitur: *Piae Aliquot Precationes ad Deum Optimum Max: con-*

tra Turcam, Ferijs sextis, et reliquo Anni tempore fundenda, ac inuicissimo Ferdinando Caesari dicata. Pag. 2. Icon certaminis Christianorum cum Turcis exhibetur, *Mose supra rupem preces fundente ex Exod. C. XVII. adjecto infra Pietoris, ut puto, Monogrammate F. D. et anno 1557. quo nempe Carolus V. jam Fratri imperium remiserat, quamvis hic per Dedicacionis decursum etiamnum Rex adpelletur a Job. Caualerio, qui harum Precationum partem potissimam e sacris Literis, puta Libro Sap. Psalmis, Judith, Esther &c. Personae Ferdinandi scite adcommodavit, quique se Regis Clientem vocat. Finem facit: Pissima Precatio Gregorij Nissae Episcopi fratris Basilij magni, ex Oratione in Sanctum Theodorum Martyrem, quae etiam cuilibet alii Martyri accommodari potest, Interprete D. Jacobo S. Theol. Doct. et Decano Viennensi. Si Theologicae Facult. Decanus hic intelligatur, fortassis is fuerit Jacobus Zieglerus Boj. Landavianus, qui a. 1543. hoc magistratu functus est, quemque Locherus in Spec. Acad. a. 1549. obiisse tradit. Verum enimvero nomina Decanorum ab a. 1550. ad an. 1567. illi defuere.*

DCCCCXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 848 XVI. Folior. 82. 8. partim impressus, partim manu exaratus, Liturgicus est, et continet primo Calendarium ecclesiasticum impressum,